



Iohannes Stupicius ex honesta familia in Saxonia natus & educatus est. Is à teneris annis operã literis dedit, atq; in ijs feliciter profecit. Inde in Augustinianorum familiam se cõtulit, ut commodius literis & pietati uacare posset. Ibi sacras literas sibi familiares reddidit, atq; ob raram eruditionem Doctor Theologiæ creatus fuit. Cum etiam eius ordinis generalis Vicarius fato functus esset, Ioannes omnium consensu ei substitutus est. Eo tempore Fridericus Saxonix Elector Vuitenbergæ Academiã erexit, & in ea fundãda Stupicij opera potissimum usus fuit. Cum autem is Theologiam in ea schola doceri cuperet, atq; Lutheri adolescentis indolem cognosceret, anno 1509 Erdfordia Vuitenbergã ad se uocauit, & ei author fuit, ut S. Theologiæ Doctor constitueretur. postea quoq; sacras literas publicè enarrare iussit, & Lutherum inter optimos amicos recensuit. Itaque Lutherus cum anno 1517 Indulgentias pontificis reprehēdisset, atq; editis quibusdam thematibus omnes ad disputationem prouocasset, eorum thematũ explicationes ad Stupicium scripsit, & suam mētem copiosius explicauit. Sic factum ut Lutherus Augustam ad cardinalem Caietanum pontificis Legatũ uocatus fuerit. In eo loco & Stupicius comparuĩt, & cardinalem summo opere rogauit, ne Lutherum ante causã cognitam condemnare uellet. Quoniam etiam ille Lutherum ad reuocationem urgeret, Stupicius à cardinale impetrauit, ut Lutherus ex scripto suam causã ageret. Cum autem Legatus frustra cum Luthero egisset, atq; Stupicio irasceretur, is illo incio decessit, atq; in Saxoniam redijt, quem etiam paulo pōst Lutherus secutus fuit. Deinde Stupicius Lutheri doctrinã ad normã uerbi Dei examinauit & approbavit. Hoc modo factum ut ueneranda canitiẽ conspicuus extiterit, & sibi apud omnem posteritatem magnam autoritatem conciliarit. Sleid. Lud. Rab. in Luthero.